

FRIDERICI
WILHELMI
CONTRACTATVS

ANNO DOMINI
MDCCCXXXV
FRIDERICO
WILHELMO,
PRINCIPIS BRANDEBURGICI, ELECTORIS
SACRAE ROMANAE IMPERII

FRIDERICI
WILHELMI



Handwritten text in a cursive script, likely a library or archival label, partially visible on the right edge of the page.



1700

gbe

7

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI

DE

AVREAE BVLLAE
MVTATIONE

QVAM

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

PRAESIDE

(52)

IACOBO BRVNNEMANNO

T. T. IVRIVM LICENTIATO

D. XII. OCTOBR. ANNO MDCC.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBIECIT

IVSTVS HERMAN Schröder,

MELLA - WESTPHALVS.

VITEMBERGAE,

Recusa, PRELO HAKIANO AN. MDCCXXXVII. (5-)

Schröder 1700



DISSERTATIO IN ARITHMETICA

AV. THOMAS BAYLIE

M. DCC. LXXV.

IN ACADEMIA REGIA BRITANNICA

PROBATA ET PUBLICA DEFENSIONE

ADUSUM

IN ACADEMIA REGIA BRITANNICA

PROBATA ET PUBLICA DEFENSIONE

ADUSUM

PROBATA ET PUBLICA DEFENSIONE

IN ACADEMIA REGIA BRITANNICA

PROBATA ET PUBLICA DEFENSIONE

ADUSUM

IN ACADEMIA REGIA BRITANNICA

PROBATA ET PUBLICA DEFENSIONE

ADUSUM

A
C
Occ
Rem
An
A. E.
Qui
Leg
Tax
Cony
Qui
Bret
Obs
Pro
Sum
Mun





Q. D. B. V.
DISSERTATIO,
DE
AUREAE BULLAE MUTATIONE,
CONSPECTUS.

- C**irca nonum Electoratum dissentientes Status potissimum se-
fundant in A. Bulla. §. 1.
Occasio inde Dissert. de mutatione A. B. §. 2.
Remissima communia illa de forma, Autore A. B. §. 3.
An A. Bulla plane non possit mutari? §. 4.
A. Bulla simpliciter non est immutabilis. §. 5.
Quis concurrere debeat ad mutationem. A. B. §. 6.
Leges publicæ ex statu publico sunt explicandæ. §. 7.
Taxatur inepta applicatio Brocardici: quod non mutarum & c. §. 8.
Confusio Publicistarum qui leges publ. promiscue sine respectu
temporum & status allegant. §. 9.
Quid notetur per notitiam status? §. 10.
Breviter docetur quomodo status Germaniæ mutatus. §. 11.
Observantiæ Imperialis, origo ex mutatione status. §. 12.
Probatur exemplis, ubi leges veteres mutatae per statum. §. 13.
Summaria recensio capitum A. B. mutatorum. §. 14.
Mutata A. B. quod ad privilegium de non appellando. §. 15.
quo ad dispositionem feudorum vacantium. §. 16.
quo ad ordinem votandi. §. 17.

- Mutata quo ad locum coronationis & electionis. §. 18.*
quo ad tutelam Electoralem. §. 19.
quo ad Diatas Electorales. §. 20.
quo ad formulam juramenti. §. 21.
quo ad celebrationem missæ intuitu protestantium Prin-
cipum §. 22.
quo ad certam civitatem in qua comitia celebranda. §. 23.
quo ad expulsionem peregrinorum. §. 24.
quo ad renorem literarum intimatoriarum Moguntini
§. 25.
quo ad cibationem Electorum aqua & pane. §. 26.
quo ad defensionem & Advocariam Ecclesiæ Romanæ.
§. 27.
quo ad linguas Principibus Electoralibus addiscendas.
§. 28.
quo ad Judicium Palatini in causis Imperatoris. §. 29.
Brevis repetitio quare hæc abrogata. §. 30.
An principes debeant consentire in mutationem A. Bullæ. §. 31.
Negatur per rationes. §. 32.
Quare consensus Electorum sit necessarius. §. 33.
Ostenditur Principes quidem ad promulgationem Bullæ, non ve-
ro consecutionem ejusdem vocatos esse. §. 34.
Rationes Principum a verbis proemii. §. 35.
Genuinus sensus illorum verborum. §. 36.
Novum argumentum pro Principibus ob communem olim Ele-
ctionem Imperatorum A. Bullæ restrictam. §. 37.
Nova opinio de orig. Electorum. §. 38.
Testimonia Publicistarum quod A. Bulla omnium Sazarum con-
sensu condita. §. 39.
Autoritates in Jure publico declinantur. §. 40.
Dion. Gorbofredi opinio de immutatione A. Bullæ contra Zeseb-
linum defenditur. §. 41.

§. 1.



On ignotum hodie illis esse potest, qui Acta publica Imperialia perlustrarunt, quanto animorum motu ventiletur ad huc causa *Noni Electoratus* presentibus Comitibus Ratisbonensibus. Testantur hoc abunde tot scripta publica, tot particulares conventus secretaque consilia, tot denique protestationes a parte Principum emissæ ac protrusæ eo fine, ut investitura Imperatoria ²⁹ Novemb. 1692. Viennæ rite solemniterque Legato Hannoverano Per-Illustr. Lib. Baroni de Groot collata, pro nulla declararetur. Interim si fundamenta juris, quod constitutione noni Electoratus læsum prætendunt Collegii Principum aliquot membra, ea, qua par est, animi æqualitate, circa partium studium, consideres, eo rem fere omnem collimare videas; esse nonum Electoratum contra dispositionem *Auræ Bullæ*; hanc tanquam sanctionem pragmaticam vel legem fundamentalem Imperii non posse mutari sine omnium Scatorum consensu, nisi forma Imperii simul mutetur, harmonia capituli & membrorum inde turbetur, & sic salus publica, qua hac contineatur, per consequens pessundetur. Apparet hæc querela ex omnibus scriptoribus, qui calamum pro Principibus strinxerunt. Auctor *der Vorstellung des hohen Reichs Rechts* apud Cassandrum Thucelium in *Electis Jur. publ. curiosis* p. 51. nihil magis urget contra nonum Electoratum, quam dispositionem *A. Bullæ* & inde fluentem observantiam Imperii, tot annorum & seculorum decursu roboratam. Sigillarim vero Principes in *Declaratione nullitatis* opposita investituræ Imperatoricæ duris hisce

A 3

ver-



verbis utuntur: Und dann bekant, das solches Verfahren der Investitur über die neunte Chur-Würde, wider die von Käyfern zu Käyfern beschworne und allezeit heiliglich gehaltene Guldene Bull, ic. Conferatur integra Declaratio nullitatis apud Hippol. a Lapide in den Curiosen Raisonnements von der neunten Chur-Würde p. 172. seq. Non autem nova hæc est cantilena, ingeminata quippe fuit jam Monasterii ac Osnabrugæ, cum studium pacis ibi ferveret, ac octavus Electoratus esset instituendus. Quæ circa isthanc rem *Vor*za extant apud Dn. Thulemarium *de Octovir. C. VI. §. VI. §. 18. seqv.* omnia uno ore ingerunt, octavum Electoratum eo tempore constituendum, ad pacem & quietem Europæ conciliandam, esse contra expressum tenorem A. Bullæ, hanc mutari nec posse, nec debere.

§. 2. Ansam suppeditavit mihi res hæc paulo penitus inquirendi, quid rationis solidæ subsit huic disceptationi, & in quantum A. Bulla mutari possit. Permutationem vero non præcisæ intelligo, ut lex per contrariam legis dispositionem mutata sit, sed sufficit ad mutationem; si capita in lege aliqua constituta, non in praxin deducantur, aut si deducta forte uno vel altero exemplo comprobari possint, mox tamen contrario usu, vel desverudine vicissim inumbra apparent.

§. 3. Ab initio vero me non detinebo in descriptione A. Bullæ. Hanc enim a Carolo IV, partim Norinbergæ partim Meris latam, esse ut legem, Coronationis & Electionis jura tam quo ad Imperato, quam quo ad Electores, confirmantem, patet ex inspectione. Quam vis vero nunc, more plerisque recepto, hic commodam occasionem haberem, ad thesaurum locorum Communium recludendum, ac multa chartis illinienda de figura, forma. Aut re A. Bullæ, tamen illa omnia præterire satius duco, Nam hæc

hæc in vulgus eruditorum etiam nota sunt, nec præterita
tuta a Publicistis, tum etiam a specialibus Commentatoribus
A. Bullæ. Ex illis videatur Schwederus *Instit. Jur. publ. cap. II.*
Vitriarius *Instit. Jur. publ. lib. 1. tit. 2.* Pacif. a Lapide *ad Mon-*
zamban. discurs. 10. §. 4. Oldenburger *in Linnæo Enucleat.*
L. 1. c. 9. ex his Buxtorffius, Dominicus Arumæus, Martinus
Rumelinus, & ad hunc in *notis* Myler. ad Ehrenbach. G.
Theod. Dieterich Jac. Andræus Crulius, Joh. Volk. Bechman.
In specie vero Nobiliff. Dn. Henr. Gunther. Thulemarius in
tract. de Aurea, Argentea, cerea Bulla, Cap. 6. 7. 8. & 9. de
A. Bullæ Autore Carolo IV. de variis exemplaribus ejus-
dem originalibus, ejus figura, eleganter agit: Hinc cupi-
dum harum lectorem eo remissum volo. Optandum vero
fuisse, ut & hi allegati Commentatores A. Bullæ non unice
circa hanc corticem versati fuissent; nam intacta hic multa
reliqta esse, fatetur D. Pfeffinger *in Vitriario illustr. Lib. 1.*
tit. 2. ad §. 2. lit. a. Quam copiosi enim sunt in descri-
ptione sigilli & externæ Bullæ figuræ; tam steriles vicis-
sim apparent, quando perventum est ad quæstiones, an mu-
tatio A. Bullæ omnium Statuum consensu fieri debeat?
Unicus Linnæus fere hæcce tantum attingit in *Observ. præ-*
lim. ultim. ad A. Bullam; sed parce admodum, ut suspen-
sum relinquat lectorem.

§. 4. Porro hic non est quæstio; *an Aurea Bulla plane*
nullo modo mutari possit? Nam non arbitror fore, qui hoc
afferat, & si forte aliquis sit, sufficientibus rationibus ab in-
dole & natura legum omnium petita, refutari posset. Nul-
lam enim legem temere invenias, quæ non mutationem
pati possit. In genere enim lex nil aliud est quam decre-
tum, quo Superior sibi subiectum obligat, ut ad istius præ-
scriptum actiones suas componat. conf. Pufendorf. *de Jur.*
Nat. & Gen. Lib. 1. cap. 6. §. 4. Hinc ne jus naturæ quidem
abso-

absolutæ aut simpliciter immutabile dici posse, evincit Puffendorf. *alleg. lib. 2. c. 3. §. 5.* Nam quæ a Scholasticis hic afferuntur de *Lege æterna*, ac si in iustitia & sanctitate Dei essentiali Jus Nat. funderetur; illa apud prudentiores nullum applausum amplius invenire videas, relictis scholasticis hominibus scholastica h. e. inani hac speculatione. De legibus autem divinis positivis populo Judaice latis constat, quod hodie, qua forenses & ceremoniales sunt, Christianos non obligent. Quod speciatim de legibus omnibus penali- bus V. Testamenti hodie non amplius obligantibus, solide adstruunt Dn. Pauli in *Princ. Jur. part. II. quest. 22. p. 153. seq.* & sictus A. sub tit. Justiniani Clementis Leucopolitani *Ge- wissenhafte Anmerkungen von dem Ampte einer Christlichen Oberkeit, sonderlich die in Beziehung auff Göttliche und Weltliche Rechte eingeführte Straffen der Ubelthäter berrefend*, 1698.

§. 5. A. Bulla igitur, sive per modum legis obliget, (propter verba *Poëm. de Imperialis potestatis plenitudine sancimus.*) sive per modum pacti (de quo dispiciendi inferius occasio forte erit,) tamen nullo modo dici potest, esse eam simpliciter immutabilem. Prius jam deduximus ex indole legum; posterius si esset, A. B. hoc haberet cum Capitulationibus & Recessibus commune, ut per modum pacti obligaret. Verum a pactis, mutuo dissensu ut recedatur nihil tam naturale est, vel tacente Jcto in *L. 35. ff. de reg. Jur. conf. Dn. Thulemar. de Octoviratu cap. 6. §. 13.* qui in præcedenti §. 12. quidem admittit, solum Imperatorem non posse mutare A. Bullam, cum in Capitulationibus juret, se A. Bullam confirmaturum esse, vid. *Capit. Leopold. artic. 2.* sed immutabilitatem illam moraliter esse intelligendam, rebus nimirum eodem modo sese habentibus conf. etiam Bæcleri *Diss. de conductore Carolino p. 2.* Hinc ob necessitatem

tatem publicæ salutis, *quin A. Bulla penitus abrogari queat.*
 nullum est dubium B. Strauchio *Dissert. Exoteric. IV. n. 14.*

§. 6. Quam facile vero hoc eviceris, tam ancipitis alæ labor in respondendo est, si quærat porro; Quis habeat potestatem mutandi A. Bullam, an solus Imperator? An Imperatoris & Electoralis Collegii consensus sufficiat? An denique reliquorum Statuum consensus etiam requiratur? Hæc enim est illa Helena de qua saltatur in Imperio. Equidem hocce componere fluctus non nostrum est, sed illorum competit prudentiæ, qui ad clavum Reipublicæ nostræ sedent, ac salutem Imperii moderantur. Interim de negotio publico secundum leges publicas judicare, a nemine, multo minus libertate Academica alienum judicari debet. Dicam igitur quid sentiam de mutatione A. Bullæ quam citra immutationem formæ Imperii, tum & salutis publicæ pefundationem, fieri non posse, multi clamitant. Scilicet in ea sum opinione, multa ob statum Imperii mutatum, tacite etiam fuisse mutata; alia quæ hodie mutanda sunt, v. c. numerum Electorum, non indigere Principum consensu, cum per modum pacti iiscum initi, non condita sit. A Bulla. Utrumque membrum ut plenius corroboretur, operæ pretium esse existimo, ita tamen, ut prius ex habitu interpretandi; posterius vero, ex monumentis historicis, quantum per caliginem temporum licet, deducatur.

§. 7. Apparet autem legum publicarum indolem consideranti, plerasque, ob irregularem structuram formamque Imperii nostri, accedere magis ad pacta, quam ad leges stricte sic dictas. Cum vero mens pacificentium soleat sese hic determinare ad utilitatem, quæ pactis hisce intenditur, prono inde alveo fluit, ne ipsos Principes per modum pacti constituentes velle ulterius legum illarum vim ac robur, quam quousque patet, intentatam utilitatem

his promotum iri. Utilitas vero vel salus legibus intentata, tamdiu intelligitur proventura, quamdiu res maneat in eodem statu, & negotia politica unam eandemque figuram retinent. Simul ac vero status est mutatus, eo ipso leges etiam antea late alterantur & mutantur. Mutatio enim status, necessario mutat jus, nam omnis status est qualitas moralis, secundum quam jus variat. Prudenter hinc annotat. Dn. Titius in *Specimin. Jur. Publ. Rom. Germ. lib. 1. c. 2. §. 10.* leges publicas a nostro tempore remotiores ex presenti statu esse aestimandas, quo facto, earum conditio, licet alias dubia fuerit, satis patebit. Atque hoc est, quando in *Capitul. Josephi arric. 2.* dicitur: *Desse gleichen sollen und wollen wir, auch andere des Heil. Römischen Reichs Ordnungen und Gesetze etc. Wie das des Reichs Gelegenheit, zu jederzeit erfordern wird, befehlen etc.*

§. 8. Quam necessaria vero hæc observatio ad explicitationem omnium legum, genuinamque legislatoris mentem detegendam; tam neglecta est a plerisque interpretibus, inscitia meliorum, aut quia semitæ ante ipsos trite insistere, ex amore erga Præceptores suos, & ne rei essent violationis quarti præcepti, satius duxerunt. Hinc etiam in publicis controversiis Principum toties quoties audimus ingeminantes ex *L. Sancimus. 27. Cod. de Testam. decantatum illud Brocardicum: quod non mutatum est, cur stare prohibetur?* Quid vero opus est expressam mutationem urgere, ubi mutatio legum ex mutato statu satis apparet. Equidem sensus communis Rusticis etiam dicitur, mandato Principis antea constituto Præfecto, si postea remotus sit, h. e. status mutatus, obedientiam amplius, non esse præstandam, licet nullum mandatum expressum ad ipsos pervenerit de non amplius obediendo. Sane hoc Brocardicum (uti pleraque

hujus



hujus farinae) ne in Civilibus legibus earumque observantia adhiberi tuto potest; multo minus in quaestione de valore hodierno legum publicarum, Nescio enim quam mihi lubricum & anceps videatur illud commune Doctorum assertum, omnes leges Romano Justinianeas, quatenus corpore Juris clausae continentur, esse receptas in foris Germanicis. Quae formula & modus loquendi multis aequae firmitate consistere videtur, quam quae in systematibus Theologicis de Canone S. Scripturae clauso, ex Apocalypsi Joannes XVIII, 19. afferunt communiter. Verum haec aliorum discussioni relinquimus.

§. 9. Inprimis vero interpres legum publicarum de statu temporum cui leges applicare vult, sollicitus sit necesse est, hinc acquiescere non potest allegatione alicujus Brocardici, ex jure Civili, ob febriculofam ostentationem hujus artis saepius applicati ad leges publicas. Ausim enim dicere, confusionem qua adhuc laboramus in Jure publico, & quod communiter tradita ex arte illius non velint concordare cum iis quae in ipsis rerum argumentis obtinent, bonam partem ex hoc fonte, scilicet interpretationis legum veterum, sine respectu ad statum & conditionem nostrorum temporum, ortam esse. Plerorumque veterum Publicistarum navum hac in parte attigerunt *Delibat. Jur. Publ. §. 1.* Ante Reformationem Evangelicam, haec omnia plus quam Cymmerii tenebris involuta fuisse, non est mirum; nam idem fatum per totam fere Europam imo orbem expertae sunt omnes solidiores disciplinae. Intererat enim curiae Romanae (& adhuc interest) inanibus speculationibus & nugis, splendido philosophiae titulo ornatis, vivida ingenia in deviatorque, ne artes Pontificis & rationem ejus status callidam persentiscant. Post Reformationem, efflorescentibus una cum illa litteris, citiores felicioresque progressus

gressus fieri potuissent in solidiori Jure publico, ni comper-
tum esset, quanta sit vis praediciorum & opinionum ani-
mo praeceptorum cum quibus innutriti sumus ac adolevi-
mus. Amor erga Jus Justinianum respectu applicationis
ad Jus publicum intempestivus multis visus a Doctoribus
Italicis in nostras Academias translatus, tum & inveterata
opinio, de laciniis ac reliquiis veteris ac quartae monarchiae
Romanae in Germania commorantis, efficiebant, ut illi Do-
ctores qui eo tempore titulum Publicistarum mereri vo-
lebant, in suis operibus, quicquid supererat ex veteribus
Capitulis, observantia imperiali & consuetudinibus veteris
libertatis retinentissimis, juxta ulnam Justinianeam in libris
tribus ultimis Codicis repertam. h. e. Leges monarchicas
metirentur. vid. *Delib. Jur. publ. §. 1. f.*

§. 10. Optandum igitur fuisset, ut sequens Doctores
oculum attentiolem habuissent ad notitiam Juris publici
solidiorem & intimiorem, neque contenti fuissent conge-
rie & conglomeratione Recessuum, Reformationum, Ca-
pitulationum aliarumque legum fundamentalium diver-
so tempore latarum. Hoc enim plerisque Jus publicum
tradere dicitur. Cum enim origines nostri Imperii a Fran-
co Carolingica stirpe repetendae sint, nemine ex cordatio-
ribus hoc dissidente, facile inde conjicere licet, modum re-
giminis recepti, continuati mutatique etiam per singula
fere secula, maxime duo posteriora, varias etiam leges pro-
duxisse, quae nisi ex statu ac tempore quo latae, explicentur,
quid aliud quam chaos & corpus hiulcum ac deforme in-
de effingas. Intelligimus vero per statum Imperii vincu-
lum vel nexum Imperantium & parentium h. e. Capitis &
membrorum. Leges autem statum illum corroborant,
vel inde profluunt. Misera hinc non potest non esse in-
terpretati legum publicarum, quae sine cognitione status
publi-

publici suscipitur; quamvis enim status ex legibus non addiscatur, vicissim tamen leges notitiam status præsupponunt, & inde explicationem suam accipiunt. Equidem non requirimus necessario notitiam status adeo specialissimam, ut quis rationem status cujusvis domus principalis, aut arcana dominationis debeat in numero habere, hæc enim adyta plerisque inaccessa manent; sed notitiam indigitamus Imperii generalem, consistentem imprimis in delineationibus nexus imperantium & parentium in idea totius non confusa quidem, sed tamen etiam non distinctissima. Conf. Excell. Dn. Thomasius in *Schol. ad Monzamb. præf. §. 13.*

§. 10. Ex mutato hoc statu Imperii singulis seculis fere contingente, & in primis post Reformationem Evangelicam & Pacem Osnabrugo-Monasteriensis, mutatas simul fuisse leges necesse est. Non est animus rem ab initio repetere, ac ex mente Furstenerii de *suprematu c. XIV. seq.* originem Principum ac superioritatis territorialis a devictis Regulis & ducibus in consortium majestatis verius assumptis, quam plane subjugatis, deducere. Interim si concedimus doctissimo Kulpisio de *Jur. Legat. Princ. Germ. cap. VII.* Caroli M. tempore nudos magistratus fuisse Principes, & inde tempore Carolingorum leges publicas in dolem monarchicam præ se tulisse, consequens esse; nihilominus illud satis clare patet, extincta stirpe Carolingica, fundamenta superioritatis territorialis jacta, ac statum inde publicum mutatum esse. Hæc mutatio status Germanici de seculo in seculum contigit, maxime ex quo publicis Capitulationibus modum regendi definiunt. Accessit dissidium religionis, cujus intuitu non potuerunt non sat multæ leges de hac disponentes interpolari, alterari, mutari, uti hoc exemplis A. Bullæ mox comprobabitur. Tandem Germania post tricennarium illud bellum, indeque secutum

Instrumentum Pacis insignem illam mutationem status passa est; ut qui antiquas leges Monarchicas, licet expresse non mutatas, crepare, aut pristinum stylum Curiae a Principibus ex observantia retentum, non ex usu rerum praesentium vellet metiri, is certe dignus est, iudice acutissimo Monzambano, ut vervecum patria ei assignetur.

§. 12. Non puto etiam memet heic a recto tramite aberraturum esse, si observantiam Imperialem das Reichs Herkommen maxime ex hoc fonte derivem. Quamvis enim haec saepius inane nomen sit, quo nunc pro affectu suo quis utitur, nunc repudiat; puto tamen bene posse definiri, per conventionem tacitam, ab Imperatore & Statibus, vel aliquando his solis, diuturno usu initam, qua variae, totius Imperii vel Statuum res, nec non operandi modum concernentia determinantur. Equidem existimat illust. Dn. Kulpis. in eleg. Diff. Argentorati hab. 1685. de Observantia Imperiali, quod origo ejus a genio populi Germanici omni tempore consuetudinis amantis, repetenda sit; sed cum illa ratio quidem quo ad quaedam exempla valeat, de cetero vero non proxima sit; hinc malo hac in parte cum Dn. Titio laud. Specimin. Fur. publ. L. 1. c. 4. §. 13. potissimam rationem ab imperii mutatione alium agendi modum desiderante, arcessere.

§. 13. Quod si nunc leges Imperii antiquiores percurrere, ac quid hodierno statu mutato ex illis simul in tractatum excresceret. Unum tamen vel alterum exemplum, antequam ad capita A. Bullae exinde mutata nos conferamus, adducere forte non praeter rem erit. Constant ex Historiarum monumentis vetustioribus varia poenarum genera, quae etiam a Principibus Germanicis fuere sumta. Capem scabiosum portare Principes in poenam turbatae

bata pacis publicae interdum coactos fuisse, memorabile docet exemplum Comitii Palatini. Plura congescit B. Dn. Crusius in peculiari tr. de *portatione Canum*, qui extat inter ejus opuscula juridico-politica. In Reces. Imp. de Anno 1512. tit. IV. & Reform. Polit. tit. 6. Fiscalis Imperii jubetur etiam inquirere in Blasphemantes & Principes & Electores Imperii, si talia crimina non puniant. Haec leges & consuetudines nunquam contrariis legibus abrogatae; & tamen quis diceret, hodie non esse tacite abrogatas, mutato statu. Acute Furfstenerius de *Supremat. c. 29. Principem aliquando canem scabiosum ferre coactum, non magis nostris moribus congruit, quam quod Josua decem Reges bello captos suspendi jussit, & Sesostris trahentibus Regibus curru vectus est, Romani vero duetos in triumphum Reges in carcere necabant.* Idem dicendum quando de poena & inquisitione Principis blasphemantes non punientis disponitur in allegato Recessu. Tempora sunt mutata. Kulpisio ad *Monzamban. cap. V. §. 29.* ex Mylero urgenti, Status non solventes per multos recessus condemnari in duplum, imo privatione regalium; regerit bene Dn. Thomas. in *Schol. ad Monzamb. alleg. loc. utinam Mylerus id magis ostendisset exemplis.* Haec forte olim. Hodie Status in multis mutavit Recessus. Hodie Principum persona sancta & inviolabilis. Soli Deo peccant. Huic delicta Principum committenda. Agnovit hoc Ill. Dn. de Rhetz in *Instit. Jur. publ. Lib. IV. c. ult. §. 13.* ita determinans rem: *in vitam & caput Principis, vigore legum publicarum, sive in suo sive in alieno territorio deliquerit, hodie animadverti non debet.* Non dico Blasphemiam capitaliter puniri non debere, sed a nostris Principibus puniri debere sub poena, nego. Quanquam & in poena hoc casu a privato sumenda, (si adhuc praecise in novo Testamento haec poena injuncta) circumspeditionem tamen desiderem, ne Arritorum

norum

norum aut Socianorum Sectæ addicti hoc prætextu miserabiliter crucientur. Exemplum Michaelis Serveti notum est, hoc obtentu Genevæ combusti æternam crudelitatis maculam autoribus suis inrens. Et utinam non recentiora extarent exempla hominum errantium circa secundam personam Trinitatis, propterea capite plexorum, quasi blasphemi fuissent in Deum. Memorabile exemplum 1687 in celebri quadam Civitate Imperiali contigit, cujus processum exhibet Dn. Arnold. *Part. IV. der Kirch- und Käyser Histor. sub num. IIX. p. 482. seqq.*

§. 14. Propius vero nunc accedamus ad exempla A. Bullæ mutata tacite, mutato statu posteriorum temporum. *Etiva controversiam*, inquit Dn. Thulemar. *de Ostovirat. c. XI. §. 14. Auream Bullam in multis non esse observatam.* Dum vero lex in aliquo capite non observatur, eo ipso mutationem in hac re patitur. Probat vero porro idem Autor ex Limnæo *Comment. ad A. B. cap. 11. n. 103.* & Carpzovio *de Lege Regia Germ. c. 3. sect. 3.* sequentibus capitibus mutatis, (1) in Electorum privilegio de non Appellando, (2) in ordine votorum, (3) quo ad locum Coronationis, & electionis, (4) quo ad concessionem feudorum regalium Imperio apertorum, (5) quo ad tutelam Electoralem, (6) quo ad juramentum Electorale, (7) quo ad Missam. Eadem puncta mutata esse, admittunt Oldenburg. *in Limn. enucl. L. 1. c. 9. §. 13.* Pffessing. *in Virr. Illustr. l. c. p. 36.* Quibus addi potest, (8) Electores teneri convenire singulis annis. (9) Dispositio de cibandis Electoribus aqua & pane, si electionem ultra constitutum tempus differant (10) quod Imperator temporale Caput Christiani orbis vocitetur. (11) Peregrini exesse jubentur. *A. B. c. 1. §. fin.* (12) De primis Comitibus Noribergæ habendis. (13) De linguis exoticis addiscendis. (14) Quo ad certum numerum comitatus Electoralis A. B. c. 1. §. 20.

§. 14.



§. 15. Hæc sunt capitula, quorum mutationem collatio temporum præsentium cum præteritis testatur, licet expressis legibus A. Bulla non præcisè mutata reperiantur. Merentur igitur singuli Articuli, ut penitus inspiciantur.

§. 16. Primo loco sistimus privilegium de NON APPELLANDO. De hoc dispositum legimus in *A. B. C. XI. §. 2. & 3.* ubi omnibus Electoribus concessum, ut non possint a sententiis ipsorum appellari. Nihilominus nonnulli Electores Ecclesiastici v. c. Colonienſis sua sponte huic privilegio renunciarunt. vid. Dn. Schwed. *Inſt. Jur. publ. Part. Special. Sect. 1. C. XI. §. 2.* Saxo vero & Brandenburgicus illo jure semper sunt usi. vid. Illustr. Dn. Stryk. *in Dissert. de Appellatione illicita cap. 1. Burgoldens. p. 2. ad Instr. Pac. Discurs. 20.* Remissione autem hujus privilegii eo facilius Electores A. Bullam negligere potuerunt, quia tralatitium est, quod favori pro sese introducto, quilibet in suum præjudicium renunciare valeat.

§. 17. Ratione FEUDORUM ELECTORALIUŢ VACANTIUM & circa illa distributionem, A. Bullam mutatam esse, Dn. Thulemar. *de Octovir. alleg. c. VI. & Pfeffinger. cit. l.* existimant. Nimirum A. Bulla c. 7. §. 53. cautum est, ut si aliquis ex hujusmodi Principatibus ipsorum Imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator sive Rex Rom. qui pro tempore fuerit, de ipso provideret. Hic pro posse dici, in *Instrumento Pac. art. 4.* verbis: *quod si vero contigerit & c.* constitui, ut si Electoratus Bavaricus extinguatur, nullus alius surrogetur in ejus locum. Unde porro sequi videtur, vacantem Electoratum non posse semper suppleri ab Imperatore, juxta dispositionem Bullæ. Verum hoc ipsum potius ad observantiam A. Bullæ stabilendam facit, quod Linea Wilhelmina extincta, Electoratus Bavaricus desinere debeat. Porro pu-

ro putant ab hoc capite in A. B. discedi, quod allegato c. 7. §. 3. solum dicatur, de vacante Electoratu Imperatorem providere debere. Diether. ad A. B. c. 7. p. 55. Verum admodum dubium est, an solus Imperator, excluso consensu Collegii Electoralis possit de vacantia suppletione disponere. Primum enim non extat expressis verbis in Bulla: unice, vel solum Imperatorem providere debere, hinc dubia interpretatio, quæ si etiam clara, tamen mutatio legis asserenda est. Nam si casus forte contingeret, arderet mihi potius Linnæi sententia Tom. 5. I. P. in addit. ad L. i. c. 12. quod consensus Electorum esset tali casu de necessitate. Cui assero favet artic. 38. & 43. Capitulationum Leopoldi & Josephi. Unde über solches alles, dasjenige Collegium in welches sie sollen aufgenommen werden, genugsam gehöret u. Addat. Per- Illustr. Dn. de Rhetz. Comm. ad F. Feud. p. 191.

§. 18. Porro A. B. non observata semper estratione ORDINIS VOTANDI. Nam in A. B. cap. IV. §. 2. sancitur, ut Archiepiscopus Moguntinus vota singulorum Electorum inquirat & tandem ultimo loco suam sententiam dicat. vid. §. 2. A. Bullæ. Verum ordo hic mutatus in Electione Caroli V. ubi teste Schleidano Comm. lib. 1. Moguntinus, ut eo citius disponeret & pertraheret Collegiarum animos in partes Caroli V. primum votum dixit. Idem observatum fuisse in electione Maximiliani II. refert Arumæus in discurs. 3. ad A. Bullam cap. 3. thes. 21. Quamvis autem Linnæus Fur. publ. lib. 2. cap. 3. §. 66. Strauch. Diff. exoter. 4. tb. 3. Carpzov. de Leg. Reg. cap. 2. Sect. 8. n. 7. neget, Moguntinum ordinem in votando præscriptum ab A. B. immutasse, tamen ipse Carpzovius, postea meliora edoctus, peculiari Dissertat. Lips. 1650. de Voto Moguntini habita, comprobat & disputat adversus Linnæum ex ipsius Sabinirelatione, quam contra Schle-

Schleidanum pro se attulerat Limnæus. Posset porro dici, vota in A. B. præscripta, propterea esse mutata, quia *Instrum. Pac. art. 4. §. 5.* octavus Electoratus accessisset. Huic vero rei alii contradicunt, ac putant hoc non turbare ordinem suffragandi in A. Bulla præscriptum, quartum ordinem ab A. Bulla Palatino quo ad votum assignatum, jam Bavarum Electorem occupare loco Palatini, esse hoc surrogationem novi subiecti, in locum remoti, non A. Bullæ abrogationem vel mutationem. Nos equidem, quid semper adfueti sumus pati lubentissimo animo, ut quilibet suo sensu abundet, nec huic lusciniæ methaphysicæ ex organo Aristotelis opt. max. canonem crocitantem reclamamus, dummodo nobis liceat per ejusmodi philosophicos Publicistas, (qui ex voce, uti Leo ex ungue, dignoscuntur optime ad quam classem eruditorum pertineant) memorare, citra illuminationem philosophicam posse comprehendere, necessario mutationem si non ordinis, tamen numeri sequi, quando in subiecti remoti locum alius substitutus votum edit, & subiectum remorum etiam votandi libertatem & jura retinet: vel secundum simplicitatem non philosophicam Dispositionem A. Bullæ quo ad numerum votandi hodie mutata esse, quia post *Instrum. Pac.* octo Electores sunt, non vero septem uti in Bulla.

§. 19. Quo ad locum CORONATIONIS, ELECTIO-
NIS & PRIMORVM COMITIORVM NORINBERGÆ
celebrandorum, multa deprehenduntur disposita in A. B. quæ hodie mutata sunt, nec amplius observantur. Primum enim A. Bulla *Cap. 28. §. 5.* vult, ut Coronatio *Aquisgrani* suscipiatur. Observatum etiam hoc fuit per tempus aliquod, uti patet ex catalogo Imperatorum ibi coronatorum, quos recenset Limnæus in *Comm. ad A. B. obs. ad d. l.* Sic etiam Carolus V. maximopere desideravit *Aquisgrana*



grani coronari, & cum de pestilentiali ibi grassante morbo admoneretur, e condisse fertur, se constanter decrevisse, nullibi nisi in antiqua Carolorum sede Regni diadema assumere. Hartman. Maurus de Coronat. & Inaug. Carol. V. Nihilominus longe plura adsunt exempla maxime recentiora eaque Illustria, quibus demonstrari potest, coronationem Imperatoriam alibi fuisse peractam. Ferdinandus I. & II. Maximilianus II. Matthias & Gloriosissimus Leopoldus, *Francofurti*, Rudolphus II. Ferdinandus III. & IV. *Ratisbonæ*, Augustissimus Josephus Rex Romanorum, Augustæ Vindelicorum 1690. coronati sunt. Dn. Schweder. *Inst. Jur. publ. part. spec. sec. 1. c. 2. §. 3.* porro in A. Bulla *Cap. 4. §. 4.* constituitur, quod Elector Coloniensis coronationem peragere debeat. Verum Elector Moguntinus litem desuper movit Coloniensi, quia A. Bulla non disponi, si Coronatio fieret alibi quam Aquisgrani. Hanc in Dicecesi Coloniensi esse. Sterit a partibus Moguntini Conringius, nec infeliciter pro illa qua pollebat in historia Germania eruditione incomparabili. Res vero tandem per transactionem decisa 1657. 25. Junii ita, ut uterque alternatim hoc jus exerceret, quoties Imperator coronandus esset in Civitate extra utriusque Dicecesin sita; de cetero neutri in Dicecesibus ipsorum hoc jus ambiguum esse debere vid. *Transactio illa in Diario Europæo ad A. 1658. p. 938.* Celeb. Dn. Becman. *Nozir. Dignitar. illustr. L. 4. c. 1. §. 3.* Observandum vero est, hic non fuisse controversiam de actu impositionis Coronæ, nam ad hunc omnes tres Electores Ecclesiastici per notissimam praxin concurrunt: sed de actu consecrationis & benedictionis, quæ tempore coronationis fieri solet. Ceterum quod ad electionem Imperatoris attinet, in A. Bulla *cap. 1. §. 19. & c. 2. & 28. §. 5.* ceterus locus est præscriptus, *Francofurum ad Mœnum.* Verum & hic status

tus ut & circumstantiæ temporis sæpius mutationem suadent, quod patet vel recentissimo exemplo electionis hodierni Regis Romanorum. Hujus electio Augustæ Vindelico-
rum peracta. Neque enim terror Gallorum dudum ad Coronam Imperii adspirantium, permittebat, ut Francofurti electio fieret. conf. etiam Oldenburg. in *Limnæo Enucl. L. 1. c. 9.*
§. 6. Interim solent Francofurtenses sibi conservare sua jura exhibito Collegio Electorali memoriali aliquo, cujus novissimam copiam in Electione Josephi exhibet Dn. Pfeffinger. *Vitriar. Illustr. lib. 1. tit. 6. §. 9.* Tertio disponitur A. Bullæ c. 28.
§. 5. prima post electionem comitia Norinbergæ habenda esse. Est communis praxis & observantia docet, hoc non ita religiose observari, verba sunt Mozambani *de Stat. Imper. c. 5. §. 24.* secundum aliorum vero philosophiam, juris publici controversias metaphysicis tricis involvere non ad-
suetam, legis capita non observata, sive non usus & tacite mutata pari passu ambulant.

§. 20. TUTELA ELECTORALI A. Bullæ non observantiam & immutationem probari posse, multi asserunt. Notum est illam *cap. VII. §. 4.* disponere, quod in casum mortis Electoris, filio primogenito defectum ætatis patienti, Tutor proximus Agnatus esse debeat. Nihilominus Fridericus IV. Elector Palatinus, antequam diem obiret supremum testamento filio impuberi, Johannem Duce-
m Bipontinum, remoto proximior Agnato Philippo Ludovico Neoburgico, tutorem constituit. vid. Diff. Dn. Alexandri sub præsid. illust. Dn. Stryck. *de Tutela materna Princ. Imper. Cap. I. §. 8.* Oldenburg. in *Limnæo Enucl. Lib. I. cap. 9. §. 13.* Acris inde disceptatio orta est, dum pro partibus Bipontini steterunt Marquardus Freherus & Dionys. Gothofredus; jura vero Neoburgici defenderunt Zeschlinus & Friedenreich. Maximam partem disceptatum est inter illos,

an A. Bulla disponat tantum in casum, si testamentarius tutor non adsit. Hoc voluerunt defendere Freherus & Gothofredus. Nos hanc litem in præsentem sequestramus, & cupidum lectorem ablegatum volumus ad modo laudatæ *Dissert. Cap. I. tum & ad Magnif. Dn. Coccej. Jurispr. publ. c. 29. §. 17.* Interim si vel maxime concederemus, A. Bullam omnes Tutores testamentarios respuere allegato *cap. 7. §. 4.* Tamen hanc dispositionem hodie mutatam esse mutato statu, non sine prægnantibus causis forte asseri posset. Quid enim si Agnatus Senior alienæ religioni addictus sit, ut adeo periculum inde toti provincie imminet? Certe cum conderetur A. Bulla, una religio erat in Imperio, nec illi casus prævideri, nec præcaveri a Carolo IV. potuere, hinc ejus dispositio generalis, etiam intelligenda erit, rebus in eodem statu manentibus, Conf. Excellentiff. Dn. Jo. Sam. Stryk. *de A. Bullæ controvers. potior. §. 79.*

§. 21. De COMITIBUS ELECTORALIBUS Collegialis oder Chur- Fürsten- Täge dispositum etiam legimus A. Bulla *cap. 12.* quod scilicet Electores per singulos annos semel in aliqua Civitatum S. Imperii personaliter congregari debeant. Inde etiam existimat Arumæus de *Comitiis Cap. 2. n. 29.* hujus rei institutum acceptum ferri debere Carolo IV. verum contra hunc recte disputat Rachelius in *Diss. de Comit. Elect. th. 2.* ac demonstrat, jam ante Carolum IV. Electores convenire solitos fuisse, ubi simul perstringit Arumæum in *Discurs. V. ad A. B. th. 20.* Carpzovium de *L. Reg. Germ. cap. 5. Sect. 7. n. 11.* asserentes, licere Electoribus per A. Bullam, infcio Imperatore, convenire & diætas celebrare. Quæ quamvis menti Caroli IV. convenientia sint, tamen si usum temporum, quæ A. Bullam subsequuta sunt videas, paulatim hoc ipsum, uti multa alia in desuetudinem abierunt, uti hoc fatetur *th. 3.* laud. Rachelius.
Hinc

Hinc Limnæus *ad arvic. 5. Capitul. Carol. V.* ait, se mirari, quod A. Bulla in Capitulationibus pro regula ponatur, cum, quantum conventus Electorales atinet, nihil minus hodie fit quam regula usu scilicet maxime immutata, quam immutationem in *undecim capitibus* sive punctis factam fuisse ibidem fufius docet. Unde satis patet etiam, in his fat magnam mutationem A. Bullam per subsequencia tempora passam esse. Nam Electores diætas instituere possunt particulares quot volunt. *Capitul. Josephi arvic. 6.* Constituitur ibi licentia diætarum Electoralium: *So oft es die Reichs Nothdurfft erfordert.* Nihilominus per annos sæpe multos solennis diæta Electoralis non fuit instituta. v. c. ab Anno 1637. usque ad Anno 1683. Solent tamen Electores vi hujus juris in Comitibus sæpe particulares ejusmodi conventus instituere. vid. Rachel. *l. c.*

§. 22. JURAMENTUM ab Electoribus in Electione præstandum, præscripsit quo ad omnia formalia Carolus IV. in A. Bulla *cap. II. §. 2.* veram hodie in hac forma non præstat. Neque latina amplius sed Germanica formula nunc arri-det. Formulam juramenti, qua in Electione Josephi tam Clerici quam Laici Electores usi, exhibet Dn. Pfeeding. *ad Virvar. L. i. tit. VI. §. 14. lit. f.* conf. etiam Sigism. Ferrar. *Coronat. Joseph. p. 104.* Notabilis est clausula juramenti adducti: *Als mir GOTT helffe und sein heilig Evangelium.* Quæ substituta est in locum veteris invocationis: *Als mir GOTT helff und alle Heiligen.* *A. B. c. 2. §. f.* Hanc a tempore Passaviensis Transactionis noluerunt adhibere Protestantes. Disputatum etiam est, an illa formula licita: *Ich schwere zu GOTT und bey dem heiligen Evangelio.* conf. Schweder. *Jur. publ. p. 229.* quæ ita potest explicari: Ego jure Deo per Christum in Evangelio revelatam, tunc est res salva. Cæterum Ecclesiastici Electores coram Evangelio



gelio jurant, sed non tacto Evangelio. Seculares digito Evangelio imponunt, uti etiam jure Novellarum dispositum legimus. Rationem hanc suppeditant, quod Ecclesiastici jam dum vi officii S. Scripturæ & conscientiæ suæ rationem habere soleant, quod non æque facere videantur Seculares. Verum hæc ratio solitam h. e. imaginariam Cleri sanctitatem sapere videtur. Ceterum conf. etiam hic Illustr. Dn. Stryk. *de Jur. Sens. Diff. VII. cap. 1. n. 27.*

§. 23. De MISSA & ejus. celebratione, haud pauca etiam disposita invenias in A. Bulla *cap. 2. §. 1.* Verum hæc omnia pro ratione illorum temporum. Hodie cessat hæc dispositio quo ad Principes Protestantæ. Suaves vero hic & (si dis placet) accurati sunt Publicistæ, qui mutationem Bullæ in hoc capite & præcedenti de formula juramenti propterea nolunt concedere, quia lex stare præsumatur, esse vero hic tantum subjecti subductionem, ex postfacto immutata religione. Quasi vero non idem esset hoc, quam quod diximus, statum omnem circa hoc caput mutatum, mutasse simul dispositionem Bullæ. Gaudeant igitur per nos alii suis metaphysicis stoculis controversis Principum oppido dignis, modo concedant, A. Bullæ dispositionem quo ad Missam visitandam, non observari a Protestantibus. Loquuntur hoc tot exempla. Solent enim fecedere Protestantæ durante Missa in proximum Conclave. Ita fuit observatum in electione Maximiliani II. Rudolphi II. Matthiæ & Ferdinandi II. vid. Schutz. *Jur. publ. vol. 1. diff. 2. §. 17.* Videbantur quidem de hac sua consuetudine aliquid remisisse Protestantæ, dum in Electione Ferdinandi IV. 1654. & Leopoldi 1658. intererant Missæ, conf. Aut. *der Grund-Beste p. 2. c. 2.* Nec pauci adsunt Theologi, qui salva conscientia Evangelicos huic rei interesse posse contendunt, si spectatores saltem agant, exemplo Naamanis Siri

Siri hoc comprobantes conf. integrum responsum Bidenbachii Concionatoris aulici Wirtenbergici de hac re, quod extat inter ipsius Consilia *Decad. 5. cap. 1.* Verum non videtur omnium conscientias tranquillitate potuisse hic Casuista, ut pleraque hujus generis magis produunt inclinationem & statum animi scribentis, quam ut alteri titubationes suas demant. Nam cum Comititia Ratisbonnensia 1663. inchoarentur, denuo secesserunt Legati Evangelici. vid. Dn. Pfeffing. *ad Virriar loc. cit.* In novissima electione Josephi legatus Saxonicus & Brandenburgicus iterum exierunt teste Sigismundo Ferrario *de elect. Joseph. p. 103. his verbis:*
 Zu Ende der Meß sint die beyden Churfürstlichen Herrn Abgesandten wieder in den Chor gekommen, und hat so dann hochgedachter Herr Prälar, daß veni sancte Spiritus wiederum angefangen.

§. 24. Certus etiam COMITATVS Electoribus assignatus est in A. Bulla *cap. 1. §. 20.* nimirum ducenti Equites, inter quos quinquaginta armati. Atque hoc factum videtur partim ad annonæ caritatem impediendam, partim ut pari potentia par libertas in votando conservaretur. vid. Dietrich *ad A. Bull. tit. 1. pag. 23.* Verum hanc dispositionem non fuisse observatam, facile credendum est. Eo enim tempore luxus & pompa aularum nondum in tantum fastigium eversa. Hinc non mirum, quod in Electione Maximiliani. II. Moguntinus 360. Equites, Palatinus 364. Saxo 802. Brandenburgicus 452. secum duxerint. Nam Illustr. Dn. de Rhetz. *Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 4. §. 23.* docet, quod hodie hoc ab arbitrio Electorum dependeat. Suffragatur huic Dn. Schweder. *Inst. Jur. publ. part. Special. sect. I. cap. 2. n. 16.* teste quo, numerus ille 200. Equitum in A. Bulla præscriptus, non adeo curiose hactenus est observatus, sed sæpius cum pluribus personis intromissi sunt Electores, uti Sprenger. *lib. 1. c. 29.* & Limnæus *ad A. B. cap.*

cap. 1. §. 29. obf. 1. docent. Ceterum quod *Cap. I. B. de Conductu* mandatur præstando a Principibus in Persona Electoribus, illud hodie cessat & mutatum est cum statu mutato Imperii. Eo tempore nulla pax publica erat, sed Germaniæ viæ erant intus & depredationibus obnoxia. Is status fere durabat ad Maximilianum I. hic emissa constitutione pœnali contra fractores pacis publicæ, demum pacatiora tempora Germaniæ procuravit. Postea crescente indies arte regendi & politica, magis ac magis securitas viarum procurata. Hinc cessat nunc illa operosa provisio Caroli IV. conf. Bœcleri *Conductor Carolinus*.

§. 25. Idem dicendum est, quando in A. Bulla *cap. I. §. fin. omnes PEREGRINI urbe Francofurtensi, ubi electio peragenda, exesse jubentur*. Imo pœnæ huic minantur ac juramentum exigitur, ut sancte hoc observeret. Formulam juramenti a Senatu Civibusque Augustanis præstiti in novissima electione Josephi exhibet Dn. Pffessinger. in *Vitriar. illustr. lib. 1. tit. 6. §. 12.* Nihilominus multa adfunt exempla, ubi peregrini civitate non sunt pulsî. In Electione Leopoldi Imperatoris 1658. Marefchallus de Grammont & Marchio de Lionne Gallici legati, Comes de Penderanda Hispanus, legatus Sabaudicus aliique præfentes, nullatenus urbe excedere voluerunt, & quia haud dubie non consultum visum est, vi promovere ipsorum discessum, relictî sunt, decreto tamen a Collegio Electorali edito, ne res in consequentiam traheretur. Eadem protestatio repetita est in Electione Josephi Regis Romani Augustæ Vindelicorum facta. vid. Decretum ap. Pffessing. *Loc. cit. §. 13.*

§. 26. Moguntinum Electorem intra mensem a primo die quo de morte Imperatoris rescivit, Collegas ad futuram electionem convocare debere, constat ex A. Bulla *c. 1.*

2. 4. vid. etiam Dn. Thulemar. *de Octovir. c. 24, 25.* Monzambano *de stat. Imper. Germ. cap. IV. §. 5.* Tenor harum literarum præscriptus invenitur in *A. B. Cap. XVIII.* Si vero praxin & observantiam consideramus, in *forma patenti & latina lingua* non amplius tales literæ intimatoriæ mittuntur a Moguntino. Exemplar Germanicum, pro ut illud in novissima electione Josephi Regis adhibitum, exhibet Dn. Pfessinger, in *Vitr. illustr. Lib. 1. tit. C. §. 5. lit. 6.* Ubi porro notandum, quod, si Moguntinus in his literis expediendis negligens deprehendatur, tunc reliqui Electores propria autoritate convenire debeant, pro fidei suæ virtute, qua sacrum profæqui tenentur Imperium, uti dispositum *A. B. c. 1. §. 19. conf. Linnæus ad Capitul. Ferdin. III. artic. 50.* Dn. Schweder *Introd. Jur. publ. part. spect. sect. 1. c. 2. §. 7.*

§. 27. Famosa est etiam dispositio *A. Bullæ cap. II. §. 1.* ubi Electores, si electionem facere distulerint intra triginta dies, a diæ præstiti juramenti, continuo numerandos, *nullex tunc panem manducare, & aquam bibere jubentur,* & nullatenus Civitate exire, nisi prius per ipsos vel majorem partem ipsorum Rector, seu temporale Caput, fidelium electum fuerit. Verum si unquam legem status subsequentiæ temporum immutavit, certe hæc præsens, pœnalis est, ignominiosa non minus quam sordida, ut loquitur Dn. Schweder *Jur. Publ. Part. spec. Sect. 1. c. 2. §. 24.* Interim, pergit, vix constat, hanc pœnam aliquando coercuisse Electorum cunctationem, quamvis in novissimis præsertim electionibus (Leopoldi haud dubie indigitat, ultra annum extractam vid. Schweder. *alleg. cap. §. 12. in f.*) non semel mora electionis, spatium 30. dierum excesserit. Palearis hæc constitutio, secundum *Per-III. Dn. de Rhetz. Inst. Jur. publ. tit. 4. §. 33.* moribus nunquam observata fuit, & fere usu contingere non potest, cum Sacrificiæ vel Conclavi diu interesse

non soleant. Nam vix ultra binas horas ibi commoran-
tur, cum antea ex privatis conventibus jam certi sint, quot-
sum colliment majora vota. Ceterum considerari mere-
tur, penam huic fere similem a Papa Cardinalibus præ-
scriptam esse, si debito tempore Papam non eligant. Scilicet *Cap. 3. X. de Elect.* constituitur, ut si Cardinales in Con-
clavi non elegerint intra tres dies Pontificem, per quinque
dies sequentes contenti esse debeant uno ferculo, quibus
diebus pariter elapsis, panem vinum & aquam tantum ac-
cipiunt. vid. *Limnaeus Jur. publ. lib. 2. c. 3. n. 55.* Dieterich. ad
A. B. Tit. 2. p. 27.

§. 28 Denique quando in allegato Capitulo A. Bul-
læ Electores jubentur eligere CAPUT TEMPORALE FL-
DELIIUM, illud non ex sensu primævo, sed statu hodierno
explicandum est. Cum omnes Ecclesiæ Romanam ut Do-
minam venerarentur, ortæ sunt istæ phrasæ: *Imperator Ca-
put temporale mundi. A. Bulla Cap. II. §. 3. 4. 5.* Advocatus
Universalis sive der *Oberste Vogt und Haupt der Christen-
heit*, *Recess. Imp. de Anno 1529. §. und anfänglich.* Huic ad-
jungebatur Papa Caput (si dis placet,) Spirituale Corporis
Christiani, quo ipso tacite insinuabatur Eminentia papalis
in Ecclesiasticis. Verum hodie per divinam gratiam melius
informati sumus de statu Ecclesiæ. Quid scilicet illa aliud
Caput nullum habeat quam Christum, externum vero ejus
regimen dependeat a Majestate, sive illo qui summam pote-
statem habet in republica, a Grotio, Conringio, Blon-
dello, aliisque dudum deductum est solidissime; Hinc juxta
hodiernum statum illi Imperatorii tituli in A. Bulla tributi,
indicare debent quidem prærogativam dignitatis, non vero
prærogativam potestatis, aut imperium in reliquos Reges.
*conf. Diss. Dn. Müldeneri de Prosect. ab Imperatore Ecclesiis
utriusque relig. in German. aequaliter præstanda §. 1.* Multo
minus

minus quando Imperator dicitur Archi-Mareschallus, En-
fifer, Brachiumulare, Advocatus Ecclesiæ universalis,
Dux contra infideles vid. Furstener. de *supremat. Cap. 32.*
hoc in præjudicium Protestantium explicandum. Nam
hi per Pacem Religiosam, Instrumentum pacis, plena gau-
dent securitate. Dn. Müldener. *loc. alleg.* Hinc quando in Ca-
pitulationibus Catholico-Romanæ religioni addicti Electo-
res Imperatorem tanquam Advocatum Ecclesiæ adstringunt
ad defensionem Ecclesiæ Romanæ; Electores Evangelici
non solum eum jubent ab hac cura facessere; Sed etiam
solemniter Imperator promittit, quod illud, quod in factum
est de defensione Romanæ Ecclesiæ, nullatenus debeat
in præjudicium Evangelicorum vergere. vid. *Capitul. Leo-*
pold. artic. 1. Capitul. Josephi art. 1. f. An vero illa promissio
in novissimo instrumento Pacis Risvicensis exacte servata
sit, & annon Potestantes justam querendi causam habeant,
obfamosum *articulum IV.* ejusdem, aliorum esto judicium.

§. 29. Tanta fuit Caroli IV. cura in rite ordinandis
Bulla sua illis, quæ ad electionem pertinent, ut & INSTI-
TUTIONEM LINGUARUM addiscendarum Electorum
filiis præscripserit *cap. XXX.* Præsupponens igitur, quod
filii illi verisimiliter Theutonicum idioma sibi naturaliter
inditum sciant, septimo ætatis suæ anno initium jubet face-
re in Grammatica, tum Italica ac Slavica lingua addiscenda.
Non puto opus esse hic inquirere fufius quid Carolus IV.
permoverit ad hanc constitutionem. Alii cum Goldasto in
Rationali ad A. Bull. p. 103. asserunt, Carolum IV. peritum
V. linguarum fuisse, hinc ipsum variarum linguarum etiam
notitiam requisivisse in Electoribus. Alii Bartolum pro
Autore venditant A. Bullæ. Hunc Germanicam linguam
non calluisse, hinc alias potius linguas Electoribus com-
mendasse. Verum quid opus est conjecturis. Ipse Carolus

fateretur, §. 2. necessariam cognitionem harum linguarum propterea esse, quia illæ linguæ ut plurimum ad usum & necessitatem S. Imperii frequentari sint solitæ, & in his plus ardua ipsius imperii negotia ventilentur. Unde simul patet mutato nunc Imperii statu omnia simul esse mutata quæ hoc casu Bulla disponit. Hodie longe aliter se habent, inquit Excell. Dn. Io. Sam. Stryk. *Diff. de Controvers. A. Bull. §. ult.* quæ hic disponuntur. De Sclavica enim lingua extirpanda potius agi debebat; Italica, sublatis expeditionibus Romanis parum necessaria: Latina autem lingua, quam sub Grammatica hic intellectam volunt, (vid. Dn. Schilter. *Tom. II. Inst. Jur. publ. in Not. ad A. B. cap. ult.*) adeo universalis est, ut pro lingua gentium reputetur, & cum exteris sine præjudicio adhibetur, & hinc merito addiscenda. Concor-
dant cum hoc *Capitulat. Leopold. art. 43. & Capitul. Josephi art. 42.* ubi de linguis ita disponitur: Wir wollen auch in
Schriften und Handlungen des Reichs keine andere Zungen, oder Sprach gebrauchen lassen, denn die Teurischen oder Lateinischen Zungen, es wäre denn ic.

§. 30. Coronidis loco merito ventilatur, annon & inter abrogata & mutata capitula referendum sit illud, quod in A. Bulla *cap. V. §. fin.* habetur, ubi Imperator vel Rex Romanus *super causis*, pro quibus impetitus fuerit, coram Comite Palatino Rheni respondere paratum se declarat, modo Comes Palatinus non alibi quam in Imperiali curia ubi Imperator præsens extiterit, iudicium exerat. Enim vero antiquum & perverstum fuisse officium lubenter credo, nam & Carolus IV. de illo meminit ut dudum observato. Accedit quod Comes Palatinus dicatur a Palatio Imperiali, cui tanquam Iudex antiquitus præfuit. *Strauch. Dissert. Exoter. 3. n. 3. Dn. Fritsch. de Palat. Princip. cap. 13.* Unde citra dubium provenit, quod Palatinus Rheni Iudex Impera-

peratoris fuerit constitutus, *Limnæus ad A. Bull. cap. 5. §. fin. obs. 12.* Quamvis vero cum Bodino præcise non sentiam, existimante *lib. 2. cap. 8. de Republ.* hoc iudicio Palatini Imperatoriam Majestatem imminui; cum ex pacto hoc fluat, non vi superioritatis; interim puto, rarum jurisdictionis hujus exercitium contra Imperatorem allegare forsitan posse Palatinum. Nam quibus cum Imperatore privata intercedit controversia, contra ipsum tanquam Archiducem Austriæ experiuntur, quo casu vel coram Austregis, vel coram Camera Imperiali conveniri potest. *Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. clas. 4. c. 5. n. 3.* Equidem Dn. Schwederus contra Autorem *Justitia Cæsarea Imperialis*, existimantem, hoc iudicium Palatini in desuetudinem abiisse disputat *sect. 11. cap. V. §. 21.* ex communi Brocardico: quod non mutatum est, curtare prohibeatur? Verum jam supra ostendimus §. 8. quam male illud in quæstione de valore legum antiquarum publicarum, in medium afferatur. Sufficit statum in Imperio esse mutatum. Ostensum jam est tot exemplis, quomodo Bulla tacite sit mutata, mutato statu, & modo regiminis. Causas quæ Dn. Schwederus affert, quod ad hoc iudicium pertineant §. 20. illæ private sunt v. c. ex contractu actio; illæ pertinent ad Imperatorem qua Archiducem, & sic ad iudicia Imperii quæ eo tempore nondum constituta. De cetero concedit idem causas status v. c. depositionem Imperatoriam, it. causas Feudales & criminales non pertinere ad hoc iudicium, & recte. Crimina enim Imperatoris sunt vel communia, & tunc in his terris iudicem non agnoscunt; vel sunt propria, quæ ipse ut Imperator committit, quæ si tendant ad destructionem Imperii vel refragentur Capitulationibus, Collegio Electorali communiter cognitio adscribitur, quamvis alii ad ipsa Comitata negotium differendum velint. Ineptum vero plane

plane est Jus Saxonicum, Weichbild, lib. 1. arr. 8. statuens a Palatino ob tres causas posse Imperatorem capite plekti: Nimirum (1) ob sedem Romanam desolatam, (2) si ad infideles & hereticos, transeat (3) si uxorem legitimam deserat. Ineprior vero Glossator est, qui addit: *debere hoc fieri non gladio sed aurea securi* (mit einer güldenem Parthen) *super margine clypei*, haud dubie ut tanquam heros moriatur Imperator. Sed hæc ad nugas Seculi rudis referenda cum Marq. Frehero *ad Petr. de Analo lib. 2. c. 10.*

§. 31. Hæc potiora, ut puto, Capita erunt, in quorum præcipuis & plerisque A. B. haud exiguam passâ est mutationem. Causâ mutationis, nimirum immutatio status imperii, supra fufius explicata est §. 12. seq. Quis vero circa hanc mutationem consentire debuerit, forsân non adeo in aprico est. Hoc tamen constat ex monumentis, nullos Statuum reliquorum heic zelum pro non observantia ostentasse, præter Electores. Cum enim ocularis inspectio doceat, nil fere aliud quam Electionem & Electoralia jura concernentia A. Bullam tradere; reliqui Status circa dubium alienum sua cura negotium æstimarunt sese sollicitos gerere, an in aliquibus capitibus observetur vel non? Soli Electores vero interdum unius vel alterius capituli observantiam decreto renovarunt, uti supra vidimus §. 23. Inde porro inferri posse existimo, solum Cæsarem una cum Electoribus debere consentire, quando capitulum ali- quod A. Bullæ non amplius observari debet.

§. 32. Acriter vero huic rei reclamarunt & ad huc reclamant reliqui Principes, postquam ipsis non consentientibus dignitas noni Electoratus collata est Serenissimæ Domui Hannoveranæ. Equidem nolo in præfenti memet ingerere isti controversiæ; an collatio noni Electoratus sit contra A. Bullam? Non enim me latet, Anonymum quon-

quendam plausibiliter urfisse, novo Electoratu nil omnino disponi aut fieri A. Bullæ contrarium Hanc non verbis dispositivis aut præceptivis, sed tantum nude narrativis Numeri septenarii Electoralis mentionem fecere; nihilque aliud ex A. Bulla perspici, quam eo tempore septem Archiepiscopales fuisse ad electionem Imperatoriam concurrentes, an vero non plures aliquando creati possint, salute Imperii suadente, nulla apicula aut literula prohiberi. Fateor, qui A. Bullam attente licet perlegerit, non deprehensurum tamen esse, ibi præcise præcipi, quod non plures quam septem esse debeant Principes Electores. Interim in præfenti abstraho ab hac controversia; ac placet contra illos qui adversus nonum Electoratum pugnant, disputare *κατ' ἀνθρώπων* sive ad hominem, ponendo sed non concedendo ipsorum postulatam. Nihilominus dubium manet, licet concedatur Nonum Electoratum esse contra A. Bullam, an hæc præcise cum consensu omnium Statuum mutanda sit, an vero sufficiat consensus Imperatoris & Collegii Electoralis: Ultimum mihi videtur sufficere, quia non potest probari A. Bullam per modum pacti cum omnibus Statibus inibi conditam fuisse. Meretur vero res altiore indaginem, dicam quid mihi videatur, relicta interim cuivis sentiendi & dissentendi facultate.

§. 33. Consideranti vero statum istorum temporum, in quibus A. Bulla lata, apparet, nondum Statuum jura in id fastigium fuisse eversa, ut leges illis latis, magis per modum pacti, ut hodie Recessus & Capitulationes, quam legis proprie dictæ, ipsos obligasse, dici possit. Quamvis enim leges omnes obligantes in Comitibus aut solenni alio Processu confluxu ferre, a longa consuetudine invaluerat, tamen magis Consiliariorum vicem eo tempore videntur representasse in legibus latis, & magis accedebant ad subditorum

E

torum

torum & parentium conditionem, quando leges publicæ fe-
rebantur, quam nunc. Inde etiam profuere existimò verba
proemii: *matura deliberatione prævia, de Imperialis pote-
statis plenitudine* statuimus & duximus faciendas: quæ ver-
ba nil de natura pactorum participant uti illa in Capitula-
tionibus: *Wir sollen und wollen, vide verba initialia om-
nium Articulor. Capit. Leopold. & Joseph. vel illa in Recef-
sibus und haben wir uns mit ihnen (den Ständen) und
sie hingegen mit uns sich verglichen. Potius concluden-
dum cum plerisque DD. Marta de clausulis p. 1. claus. 259. Lu-
dov. Rodolphino de Absolut. Princ. potest. cap. 5. 6. Cardin-
Tusch. præct. conclus. rom. 1. lit. C. concl. 243. Surdo consil.
303. n. 7. Bened. Ægid. ad L. 5. ff. de Just. & J. p. 2. c. 18. claus.
1. p. 207. hanc formulam denotare potestatem leges ferendi
absolutam fere. Hoc alii quidem forte negarent, secundum
quos, Bartolus, qui juxta nonnullos hanc Bullam scripsisse
arguitur, forsitan nimis secure clausulas juris privati, quibus
innutritus in Italia fuit, Germanicæ huic legi assuit. Sed
illud de Bartolo fabula est, vid. Dn. Pfeffing. Virr. Illustr. L. 1.
r. 2. ff. 12. hoc tamen exinde puto concludi posse, omnes Sta-
tus & omnem populum fuisse præsentem, sed non ut ro-
garetur ad Bullam illam una cum Imperatore condendam;
sed ut condita promulgaretur iis.*

§. 34. Ceterum cum Electoribus aliter hic sese res
haber. Quia enim Bulla concernebat negotium Electionis
ex jure quæsito jam ipsis competens, facillime adjudicari
potest, horum consensum in omnibus requisitum fuisse
a Carolo IV. Hinc in *A. B. c. XII. §. 2. solius duntaxat consen-
sus Electoralis mentio fit: Habita cum eisdem Principibus
Electoribus deliberatione, & de ipsorum consilio, pro bono & sa-
lute communi, cum dictis Principibus Electoribus tam Ecclesia-
sticis quam secularibus, duximus ordinandum &c.* Porro Ca-
rolus

rolus IV. Cap. 3. §. 2. unice meminit consensus Electorum his verbis: *habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam Ecclesiasticis quam secularibus, & de ipsorum consilio decernimus &c.* Sic in illis Bullæ Capitulis, quæ incipiunt a cap. XXIV. & in Metensi Curia promulgata sunt, mentio saltem fit *assistentiæ S. Romani Imperii Electorum*. Ex quibus omnibus satis patet, nullos alios Status, præter Electores illorumque consensum concurrisse ad Bullam condendam, nullius alterius consensu hinc opus esse, ad illam immutandam.

§. 35. Equidem cap. XX. §. 2. Carolus testatur de solenni sua Curia, hanc celebratam fuisse *cum Venerabilibus Ecclesiasticis & illustribus secularibus principibus Electoribus & multis aliis Principibus & Proceribus*, verum hoc me in mea opinione confirmat, quod Principes & reliqui duntaxat adhibiti sint ad solennem curiam h. e. ut publicationi Bullæ adessent, aut ubi de sanctione ipsa & prævia deliberatione adhibendoque consensu agitur, cum solis Principibus Electoribus deliberatum, & de ipsorum consilio hoc statutum esse, evincunt loca §. præcedenti in medium allata. Accedit quod non ostendi possit, per A. Bullam aliis Imperii Statibus jus quoddam quæsitum fuisse, sed solis tantum Electoribus. Hinc reliquorum Statuum ne quidem mentio facta, quod vel exinde apparet, dum Imperator noviter electus, ne quidem Statuum jura confirmare tenetur, sed tantum Electorum. *A. B. c. 2. ff. 8. conf. Dn. Stryk. Diss. alleg. ff. 9. & 10.* Quis vero dubitat, Status si ad deliberationem & confectionem A. Bullæ vocati fuissent, non sibi simul prospecturos fuisse de suis Juribus. vid. *Delibat. Jur. publ. §. 6.*

§. 36. Exinde nullo negotio etiam apparet, nullam validitatem inesse argumento, quod ex verbis Proem. in suam partem trahunt Principes nonnulli, Dicitur ibi: *infra scriptas*

scriptas leges affidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numerosa, matura deliberatione pravia e didimus, Struimus & duximus sanciendas. Illis verbis nil clarius pro Principum causa adduci posse, existimatur. Nam non esse probabile tot principes & Proceres solius pompæ causa assedisse; Imo Auctor Respons. ad Quadrigam Questionum publicarum ap. Hippolyth. a Lipid. in Elect. Jur. publ. de Novemvirat. p. 15. non vult pati, ut sibi persuadeatur, tam numerosam multitudinem ad Comitia Noribergensia vocatam, exceptis solis Electoribus, in statuenda sancienda ac condenda A. Bulla assedisse ut Kopha Profopa. Nudæ promulgationis ergo, pergit, universos Imperii Status ac ordines ad solennia Comitia vocari non atinebat, cum pleraque capita legis solos concernant Electores, quibus itaque vel solis ut promulgaretur sufficere, vel etiam per rescripta, Statibus reliquis ubi opus, in notitiam ferri poterat.

§. 37. Hoc primarium est argumentum quo nituntur ac evincere laborant, omnium Statuum consensu A. Bullam confectam esse, omnium vicissim Statuum consensu Bullam istam etiam immutandam esse circa nonum Electoratum. Verum non desunt variæ ad hoc responsiones. Primum enim ille incommodus, non dicam ineptus sensus ex ista explicatione fluit, quod & Comites, Barones, Nobiles, Proceres, qui dicuntur assedisse, habuissent Jus Comitiorum eo tempore. Per Proceres Imperator Carolus citra dubium intelligit supremos & summos officiales Domus Angustæ suæ aliorumque Principum. Quis vero diceret, illorum consensu hodie opus esse in Collatione Electoratus noni. Ergo non potest commodior sensus nulla absurditate laborans exculpi ex his proemii verbis, quam quod

quod dicatur, illos praesentes fuisse in promulgatione, postquam jam cum consensu Electorum condita esset a Carolo, praesertim cum ostendant hiatus & diversi generis Capitula in A. Bulla, illam non uno tempore fuisse conditam, pars quippe Metis, pars alibi forte condita, Noribergæ vero solenniter promulgata. Nescio etiam quomodo hoc fat clare adhuc confirmetur voce *assidisse* quam Carolus conditor Bullæ adhibet. Notanter credo hoc vocabulum adhibuit, & non aliud ei affine v. c. *assistisse*. Assistere enim potuisset inferre, quasi auxilium conficiendo praestitissent; jam vero Assistere nil aliud involvit, quam in solenni promulgatione praesentes fuisse Imperatori Status, & ipsi assidisse in hoc confesso sive actu. Propterea tamen non praecise inferendum est, Status assidisse in his Comitibus ut Kopha Profopa. Nam sufficebat illis quod promulgationi majoris solennitatis ac pompæ gratia interessent, suffragiis vero circa confectionem abstinuerunt, quia res non ipsos, sed Electores & electionem Imperatoriam concernebat.

§. 38. Instat vero hic Anonymus quidam Autor *Der Vorstellung des hohen Reichs Rechts*, atque omnino Statuum consensum & vota ad hanc Bullam requisita fuisse, contendit. Mentem vero suam ita exprimit: Ex historiarum, monumentis constare, Carolum M. & ejus Successores nil magis in votis habuisse, quam ut dignitas Caesarea esset hereditaria. Successu temporum vero hereditariam Imperii successionem magis ac magis limitatam, & cum electione ita fuisse confusam, ut Proceres quidem rationem sanguinis haberent, si idoneus heres ad hoc munus esset, necessariis instructus virtutibus sagatis & togatis; tamen hac conditione deficiente, imperatarios heredes praeteriri potuisse. Ex eo tempore Imperatores non per paucos ut nunc, sed per Proceres totius Imperii electos fuisse,

fuisse, atque hoc in Chronico Spirensi Lehmannum egregie contra Bellarminum evicisse. Durasse hanc liberam omnium electionem ad tempora usque Friderici II. post cuius mortis interregnum XVII. annorum, mentionem fieri in Annalibus, Rudolphum I. a solis Septemviris electum fuisse. Probabile esse, reliquos Proceres ob statum turbulentum Imperii & electionum, sponte sua abstinuisse suffragiorum jure, continuasse vero hos solitarias electiones usque ad Carolum IV. qui in A. B. ad observantiam provocans, tandem lege fundamentali præminentiam Electorum fundaverit. Ex his colligit memoratus Autor, quia in A. B. jus aliquod Electorum fluctuans & incerta recentique observantia nixum, quod autea omnium Principum erat, stabilendum fuerit; exinde necessario inferri debere, Principes & reliquos Status in Imperio ad deliberationem fuisse adhibitos, & Carolum quæsiturum fuisse, an istorum nomine in posterum soli Archiofficiales temporale caput orbi fidelium eligere deberent. Ergo, concludit, sine consensu Statuum nihil hodie de jure poterit immutari circa caput A. Bullæ de Electione disponens.

§. 39. Non proletarium dubium est, quod hic Anonymus protulit, profundiorum cognitionem historiæ patriæ satis demonstrans. Equidem quod attinet originem Electorum, consentio cum ipso, illam neque Ottonis III. neque alterius Principis aut etiam Pontificis maximi constitutioni expresse adscribendam esse, usque dum illa producat a Bellarmino, Baronio *Tom. II. Annal. ad Ann. 996.* aut alio hujus sententiæ propugnatore. Interim non videtur mihi firmo talo stare, quæ de tempore interregni post Friderici II. mortem movet, ac si tum demum Archiofficiales septem electionem Imperatoriam ad se traxissent, illaque a Carolo IV. postea publica lege cor-

corroborata fuissent. Adducta jam huc facientia in *Delibat*,
Jur. publ. p. 11. unde nolo hic repetere, illud breviter regeren-
do, Archiofficiales & Cancellarios Imperii longe ante tem-
pora Fridericii II. aut Rudolphi I. habuisse jus eligendi Im-
peratores. Historicos quidem; & inter hos Lehmannum,
tribuere omnibus Statibus jus eligendi Imperatorem; sed
confundere (quod in tanta seculi ignorantia non mirum)
prætaxationem Statuum, (uti loquitur Albertus Staden-
sis sub *A. 1240. fol. 215.*) cum Electione Solenni Electorum
conf. Christ. Gewoldus *de S. Rom. Imp. Septemviratu L.*
7. p. 122. Windeck. *de Princip. Elector. origine c. 5. p. 14*
sequ. qui hanc in rem adducunt testimonia *Welberri & A.*
mandi cujusdam Secretarii Friderici I. vid. etiam Excell. Dn.
Schilter *de Libert. Eccles. Germ. Lib. 3. c. 8.* & in *Comment. ad*
Jus Feud. Aleman. cap. XIX. §. 4. Conjecturam hanc adjuvat
Speculum Saxonicum circa annum 1229. confectum *lib. 3.*
tit. 57. dum mentionem facit duplicis Electionis *Princi-*
pum & Archiofficialium. Illa fuit nominatio & commen-
datio aliquot Candidatorum; hæc solennis Electio unius
ex Candidatis a Principibus nominatis. Quamvis vero B.
Conringio in *tract. de Orig. Jur. Germ. cap. 13.* Judice, ma-
gna Epkonis & Glossatoris in putidissimis fabulis sive com-
miniscendis sive credendis vœcordia sit, ita ut nil veteris
historiæ non peregrinæ tantum, sed ne Saxonicae & dome-
sticæ quidem tuto inde petere liceat; Et hoc ex *proem.*
Specul. etiam pateat, ubi dicitur, *Constantinum M. Saxoni-*
bis dedisse leges, ut adeo Glossæ Weichbildicæ non mul-
tum tribuat Heig. *quæst. 3. illustr. n. 6. Gryphiand. de Coloss.*
Weichbild. cap. 52. Nihilominus in illis rebus, quæ aut tem-
pore Speculatoris contigerunt, aut etiam a memoria sua
non longe fuerunt remotæ, majorem fidem ipsi posse tri-
bui, existimo, præsertim cum non solius ipsius testimonio
utamur

utatur, sed conjecturas saltem illustremus exinde, de cetero nixi testimonio gravissimi auctoris Alberti Stadenfis. Incidunt enim origines harum rerum in illis tempora, ubi clara historiarum luce non semper frui licet. Superstitio, ignorantia bonarum literarum, & inde fluens scæda barbaries omnia occupaverat, nec monasteria inde libera, licet quæ supererat cultus humaniorum literarum, heic domicilium suum constituisse videretur. Monachi qui historiæ horum temporum memoriæ prodendæ vacabant, rudes solidioris politiæ, cronologiæ, & reliquorum subsidiorum veræ historiæ, unice inania Ceremoniarum & inde profluentem momentum magno studio tradi, ubi Imperator, & quibus ceremoniis, in quo oppido, festum Paschatos, Corporis Christi, & alia inania celebravit; verum quo ad negotia publica altum ibi sæpius silentium. Hinc de gestis Majorum pauca scimus, alia præsumimus, quædam tantum firmiter & sine formidine opposui, colligimus. Igitur ut accedamus ad argumentum Anonymi, negamus quod Electorum jus eligendi ante A. Bullam fluctuans fuerit, & demum hoc stabiliendum fuisse cum consensu Principum. Responsionis loco, præter illa quæ ad destruendum hoc adducta, potest porro inservire, quod jam supra tetigi nimium expresse non confirmari hic Electores, sed Carolum conditorem A. Bullæ ad vetustam observantiam & electionem provocare, tanquam rem indubiam, & quæ eo tempore Statuum consensu non habuerit amplius opus, quia de jure & antiqua consuetudine competiit Electoribus A. B. *cap. 1. in pro. c. 4. §. 2. 3. c. 5. §. 3. c. 9. §. 2.* Nam si hoc fuisset, Conditor Bullæ hoc idem inferere non omisset. Ergo ob hoc caput Status præcise non debuerunt vocari ad conficiendam A. Bullam.



§. 40. Adducitur porro autoritas Doctorum uno ore confirmantium, A. Bullam omnium Statuum consensu esse factam per modum pacti, & hinc consequenter illorum cum consensu vicissim mutandam esse. Buxtorfius in Comm. ad A. B. proem. existimat, licet Imperator legibus mere positivis solutus sit, eum tamen *huic omnium ordinum scitu (non infert pactum) facta & perpetuo valere jussu legi Imperii ita obstrictum esse, ut per se solus sine Statuum (rectius Electorum) consensu immutare nihilve abrogare possit.* Arumæus de Comitibus cap. 7. n. 129. Utrumque, ait, A. Bullam incurrit, qua omnium ordinum consensu varietas electionis sublata. A Schurzio in Colleg. Jur. publ. Disp. 1. 2b. 10. lit. a. Aurea Bulla a toto Imperio lata, sæpius ingeritur. Dierico A. Bulla definitur, quod sit pragmatica sanctio, nata Norimbergæ ab Imperatore & Statibus Imperii (recte, si per Status, secundum excellentiam, Electores intelligit) A. Christ. 1356. in Nor. ad Bull. p. 3. Lampadio de republ. Rom. German. p. 3. c. 2. §. 25. audit Bulla Constitutio Carolina communi Caesaris omniumque Procerum consensu munita. Conringius doctissimus Annotator Lampadii addit p. 136. totam A. B. vim suam debere conventui publico omnium ordinum. Plura hujus farinae testimonia in promptu sunt ex Dn. Schiltero de libert. Eccles. Germ. lib. 3. cap. 8. f. 15. Marquardo Frehero in Epistol. de Palatin. Elector. p. 32. Lehmanno Chron. Spiren. Lib. VII. cap. 35.

§. 41. Quid igitur, inquis, fiet de tanta cohorte Publicitarum dissentientium, virorum maximam partem celebriorum & irrefragabilis autoritatis? Scilicet deprecamur hic autoritatem magnorum licet virorum. Dudum est quod orbis eruditorum, ex parte qua cultior est, maluerit rationibus decertare, quam allegationibus celebris alicujus Doctoris, a quo si nudam opinionem aliorum de

F

ipsum

ipſius præſtantia tollas, quid de autoritate quaſo remanet? In jure publico certe (uti in omnibus ſcientiis ac diſciplinis) cordatiores dudum obſervarunt, ſi autoritatibus pugnare vellemus, nullam ſententiam adeo abſonam fore, quæ etiam hic non aliquem applaudentem invenerit. Si prudentioribus facile ſubolet, quantum ſtudium partium ſeſe ſolet inſinuare ſcribentibus de materia publica, & quam ſolerter hic ſcribentis indoles, patria, Princeps ſub quo ſcribit, indaganda ſit, tum & ſecta cui deditus eſt Publiciſta monumentum aſſerre ſolet ad deciſionem rei controverſæ. vid. elegans *Epistoſa de ſcriptor. Jur. publici* Conradi Sulpitii, ſub quo nomine illuſtrem Kulpifium latere, genius ſcribendi & multa alia indicant.

§. 42. Igitur ut testimoniis & autoritatibus contra aſſertionem noſtram prolatis, ſponte herbam porrigamus, nemo a nobis exiget, præſertim cum in nulla diſciplina multum deferre nudis testimoniis aliorum, adſueti ſimus. Verum ſi nihilominus contrariæ ſententiæ aſſertores multum ſpei gloriæque in calculo communi Doctorem ponerent, illis nullo negotio alios Doctores pondere, numero & menſura æque graves opponere poſſumus. Nota eſt controverſia de Tutela Electorali in Domo Palatina, agitata initio ſuperioris ſæculi. Jam eo tempore Dionyſius Gothofredus celeberrimus ille ICrus mentem ſuam declaravit de Aurea Bulla: *Poſſe dubitari, an verum ſit quod ſcripſerat Zefchlinus Cancellarius Palatino-Neoburgicus in ſuo de legitima tutela Electorali tractatu: Bullas aureas cauſam habere a Principe & populo &c. poſſe enim verius dici, Eas non tantum a Principe i. e. Imperatore, ſed etiam a Principibus Electoribus, qui in eam conſenſerint, cauſam habuiſſe.* Equidem ob hoc Gothofredus Novator audit Zefchlini in vindic. Tutelar. §. 55. cujus opinio nec cum praxi, nec eo quad in L. 8. Cod. de LL. ſtatuitur,

statuitur, conciliari possit. Verum hoc ipso in hoc puncto imbecillitatem suam prodidit Zeschlinus, qui alias in controversia tutelari sat masculine pugnat. Nam sententia propterea simpliciter non est falsa, quia nova, nec propterea vera, quia communiter creditur, aut antiqua est. Veritati nunquam præscribitur. Convitium autem *novatoris* hodie in omni scibili usitatissimum, non amplius habet illam efficaciam apud mediocriter etiam prudentes & doctos, ut pari passu cum errante, multo minus cum Atheo & nescio quo non, uti olim, ambulet. Quin potius elogium novatoris alicui objectum præsumtionem probabilem, pro substrata materia, facit apud cordatos, esse hunc virum vere eruditum, aut sectari veram eruditionem h. e. de emendatione propria sollicitum & communes errores non speculativos, sed damnosos in vita civili, detegere cupientem. Deinde quando Zeschlinus putat, Gothofredi opinionem de A Bullæ valore & immutatione, non conciliari posse cum *L. 8. Cod. de LL.* quid aliud facit, quam ut toties a Monzambano sive B. Baron. Pufendorffio exagitatam febriculosam scientiam juris ostentet. Eo tempore quidem hoc pro nævo Publicistarum non habebatur, & ipse Gothofredus in Controversia tutelari sapius hic impingit. Verum si non alia obfent sententiæ Gothofredi de A. Bulla ab Imperatore & Electoribus solum condita, quam *L. 8. C. de LL.* tuto (crede mihi) hoc dubium vel quasi, perterire hodie licebit. An vero cum praxi Imperii concordet Gothofredi opinio mutationem A. Bullæ soli Imperatori & Electoribus concedens, hoc, opinor, sat multis exemplis mutationum, nemine Statuum contradicente, evicimus. Igitur hic acquiescimus B. L. rogantes, ut si in delicata hac materia minus compe minuse solide omnia deduxerimus, magnitudini negotii, tum & parum exercitatis ingenii viribus hoc adscribat.

S.

D.

G.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its low contrast and bleed-through nature.

Handwritten text in the right margin, possibly a library or collection identifier. The text is partially obscured and difficult to read.









ULB Halle
004 767 136




3

Sl.

V017
VD18







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V. 1700 gbe
 DERTATIO IVRIS PVBLICI
 DE
 EAE BVLLAE
 MVTATIONE
 QVAM
 CADEMIA FRIDERICIANA
 ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
 PRAESIDE (5/2)
 BO BRVNNEMANNO
 T. T. IVRIVM LICENTIATO
 XII. OCTOBR. ANNO MDCC.
 E ERVDITORVM DISQVISIONI SVBIECIT
 VS HERMAN Schröder,
 MELLA - WESTPHALVS.

VITEMBERGAE,
 LO HAKIANO AN. MD CC XXXVII. (5-)

S. C. 1700

